

piuntur, ultra ædificium, quod adhuc pro habitatione pauperum deservit, ascendunt ad alia annua scuta decem milla circiter.

Ex fructibus Camerae.

§.11. Volentes itaque eidem Hospitio, ejusque perpetuæ subsistentiæ, & successivæ mantentioni, alterius majoris dotationis, seu subventionis ope consulere, iisdem motu, scientia, & potestatis plenitudine, centum milla scutorum monetæ Romanæ per Nos, ex eisdem Camera nostræ fructibus cumulata, ad effectum illa in tot locis montium distæ Camera non vacabilium, vel in bonis stabilibus, seu censibus ad nostrum, & Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrium investigandi, prout nuper in censu annui redditus scutorum trium millium fuerunt investita, necnon Burgum Dorum in Oppido nostro Civitatis Vetule in loco vulgo nuncupato la Tenaglia, de mandato nostro hæcenus ædificatum, & in posterum cum eisdem Camera fructibus ædificandorum, cum omnibus, & singulis earum Juribus, membris, & pertinentiis. Item quicquid deductis omnibus Penitentiariæ nostræ oneribus, & expensis, ex emolumentis, juribus, fructibus, & obventionibus universis distæ Penitentiariæ, seu Majori Penitentiario nostro alias assignatis, & pro hac parte, seu summa alias reformatis, supererit, ascendens ad annua scuta similia quinque mille circiter. Itidemque alia annua scuta duo mille ex elemosynis dispensationum matrimonialium, quæ alioquin in pauperum subventionem integre erogantur, fixe, & invariabiliter detrahenda, pariterque illam partem minorum servitorum, quæ ante suppressionem venalitatibus Officiorum Cameralium dudum a Nobis factam, assignata erat in partem dotis, seu emolumentorum, vel reddituum Camera nostræ præfate Clericis Presidentibus, ascendentem ad annua scuta duo mille circiter, Hospitio Apostolico Pauperum invalidorum hujusmodi pure, libere, perpetuo, & irrevocabiliter, omni meliori modo donavimus, & assignavimus, prout in prædictis nostro die quinta dicti mensis Februarii desuper confecto, & per nos signato Chirographo, ac Instrumento in ejus executionem rogato uberius continetur. In quo quidem Chirographo ulterius volumus, & mandavimus, quod Domus, seu Archihospitalale Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum de eadem Urbe, juxta oblationem ex ejus parte Nobis desuper factam, centum frumenti, & quinquaginta leguminum rubra ipsius Archihospitalis expensis ad Urbem præfatam transportata Hospitio prædicto Apostolico Pauperum invalidorum teneretur singulis annis contribuere.

Ex Oppido Civitatis Vetule.

Ex Penitentiariæ.

Ex Dispensationibus Matrimoniorum.

Ex Clericis Presidentibus Camerae.

Ex Archihospitali S. Spiritus in Saxia.

Ex variis Officiis.

§.12. Per aliam insuper nostram Motus proprii cedulam sub Datum quinto Idus dicti mensis Februarii, unum Correctoriæ Archivi Romane Curie per suppressionem venalitatibus officii Auditoris Camerae Apostolicae, illiusque restitutionem, & reunionem eidem Camera, seu Datarie Apostolicae, aliudve Regestri Literarum Apostolicarum de non salariatis nuncupatum, & Scripturæ Literarum Apostolicarum non divinum, & aliud Sancti Pauli, & aliud Sancti Petri, atque aliud Pii respective nuncupatum. Militum, necnon aliud Presidentatus Annonæ, ac reliquum Portionis Ripæ officia per obitum respective, sic vacantia, cum omnibus, & singulis illorum honoribus, oneribus, salariis,

Juribus, & emolumentis solitis, & consuetis, tam ordinariis, quam extraordinariis, certisque, & incertis, etiam ex Congregationibus, præsentibus, & officiatoribus, ac alias undecumque, ac quomodocumque provenientia, cum facultate deputandi personam, seu personas per Congregationem dicti Hospitii Apostolici ad effectum, exigendi dictos fructus, & emolumenta quæcumque, necnon Congregationibus, & Officiariis dictorum Officiorum interveniendi, memorato Hospitio Apostolico Pauperum invalidorum Apostolica auctoritate perpetuo concessimus, assignavimus, & applicavimus.

§.13. Ad hæc alia scuta undecim mille septingenta, & quinquaginta præfate monetæ Romanæ ex trium scutiferorum, unius portionis Curforum duorum Lauretanorum, & aliorum duorum Piorum, & reliqui Lillii nuncupatorum Officiorum, quæ per obitum illa possidentium nuper vacaverant pretio retracta necnon pretium ex Officio Notariatus Magistratus viarum nuncupati pariter per obitum vacantis, venditionis retrahendum in banco dilecti filii Francisci Montioni nostri, & Camera prædictæ Depositarii Generalis in creditum memorati Hospitii Apostolici, & ad dispositionem Deputatorum ejusdem Hospitii, & ad effectum illa, & illud in tot locis montium, censibus, seu stabilibus pro hujusmodi Hospitio investiendi per aliud desuper confectum, & per Nos die decima tertia currentis mensis Maji signatum Chirographum, cum derogationibus, & clausulis opportunis deponi mandavimus, prout dicta scuta undecim mille septingenta, & quinquaginta jam deposita fuerunt.

Confirmatio, & innovatio relatæ dotis.

§.14. Et nihilominus præmissis nostris Motus proprii cedulis, Chirographis, & Instrumentis harum serie majus robur, & pleniorum efficaciam adicere volentes, illarumque, & illorum, necnon quaruncumque aliarum literarum Apostolicarum, jurium, documentorum, fundationum, & dispositionum quæcumque denominationis, & speciei, quarum, & quorum, mentio, expressio, seu insertio quoquo modo necessaria, vel opportuna fuisset, pro plene, & sufficienter, & de verbo ad verbum expressis habentes, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine similibus præfatas nostras Motus proprii Cedulas, Chirographa, & Instrumenta, hujusmodi, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa, non solum eo qui in dictis Cedulis, Chirographis, & Instrumentis continetur, sed omni alio meliori, validiori, & efficaciore modo plenissime earumdem tenore presentium perpetuo confirmamus, approbamus, & innovamus, ac inviolabiliter, & inconcusse servari volumus, & mandamus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, aut pretendi possent, plenissime, & amplissime sanamus, & supplementum.

§.15. Insuper volentes ad eisdem Hospitii Apostolici Pauperum invalidorum, ut præfertur, erecti, fundati, & dotati, institutum, regimen, normam, & disciplinam procedere: In primis utriusque sexus vere pauperibus matrimonio non conjunctis, & corpore, vel ætate invalidis, sibi que propriis labore, & industria victum querere, non valentibus, nec eos a quibus alii deberent, & possent habentibus, viris

nimi-

simurum; mulieribus, & puellis in præfatorum Palatii Lateranensis, & Domus ad Pontem Sixtum, juxta destinationem, & distinctionem in posterum arbitrio infra scriptæ Congregationis faciendam, Pueris vero in Sancti Michaelis ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam, Hospitiis, seu locis præfatis, victum, similemque respective vestitum præfari volumus, & decernimus. Possit tamen quandoque aliquis conjugatus ad memoratorum Palatii Lateranensis, seu Domus ad Pontem Sixtum Hospitium admitti, eisdem, & alterius conjugis separatim extra Hospitium vivere volentes, mutuo accedente consensu, nec non incontinentia periculo, & suspitione utriusque cessante, & juxta casum contingentis, & circumstantias præfate Congregationis arbitrio ad hujusmodi Hospitium admitti ambo conjugati similiter pauperes, & invalidi, quando sint senes, & cessante incontinentia periculo, & suspitione maritus inter viros, uxor autem inter mulieres Hospitii præfati separatim, & caste vivere elegerint. Et nihilominus etiam pauperibus invalidis conjugatis, & infantibus, nec eos, a quibus alii deberent, & possent habentibus, qui alias omnino mendicare cogentur, volumus, & decernimus esse aliquem elemosynæ subventionem succurrendum.

De pauperum occupationibus.

§.16. At quia Pauperum hujusmodi non corporibus solum sed præcipue animabus consulere solerter intendimus, ut iisdem in otiosa desidia, a qua plura peccata procedunt, non torpeant, & quo magis fieri potest, in pietate, & charitate proficiant, statuimus, & mandamus, quod omnes, & singuli, qui non sint proflus inhabiles, ac præsertim pueri, & puellæ, quorum plerique non sunt corpore invalidi, sed ratione atatis, & præsertim etiam sexus foemine nequeunt sibi victum saltem honeste, seu sufficienter acquirere, & desidiosè mendicitati addictos, seu addictas esse non convenit, debeant juxta qualemcumque cujuslibet ædificavit ad beneficium Hospitii operari, salvo tamen Congregationis arbitrio aliquibus operantibus aliquam modicam portionem lucri ex opere cujusque illorum resultantis ei dimittendi. Sed quia minus est mala non agere, nisi quisque studeat bonis operibus insudare, volumus etiam, & decernimus, quod omnes hujusmodi pauperes majori, qua fieri potest charitate, conviventes, Missæ Sacrificio singulis diebus intersint, Sacramentalem Confessionem, & Eucharisticam Communionem, diebus per directores spirituales Hospitii Apostolici hujusmodi statuendi frequenter, ac quotidie precibus, & orationibus juxta horarium, ac regulas, & ordinationes desuper præscribendas, devotam operam impendant.

De imbecillibus, & incorrigibilibus.

§.17. Quoties vero pauperes hujusmodi eorum Institutio, disciplina, seu regulis contraverint, seu ea, qua decet, submissione, Superioribus quibuscumque non paruerint, vel alias animadvertione digni existimati fuerint, possit Congregatio præfata per se, vel per alios condignis, & opportunis poenis, etiam carcerationis, tum in Hospitii, ejusque locorum, & habitacionum hujusmodi, tum in publicis carceribus ab bene visum tempus hujusmodi contravenientes, seu inobedientes coercere. Quod si iidem adhuc relabantur, vel alias incorrigibiles seu ulterius non tolerandi existimati fuerint, debeant omnino nostri, & pro tempore existen-

tes in spiritualibus Vicarius Generalis, alique Judices competentes ad instantiam Congregationis præfate hujusmodi relapsos, incorrigibiles, seu amplius non tolerandos exilio, sub comminatione aliarum poenarum in casu contraventionis executioni demandandum, multare, & coercere, vel alias juxta delictorum qualitatem condignis poenis afficere.

De Vagabundis.

§.18. Quod si ii, qui vere pauperes, & invalidi in Hospitio hujusmodi, ejusque respective locis, & habitacionibus commorari venientes, vel ab iis, qui illos alere tenentur, & possunt ali negligentes, vel pauperes, & invalidi non-existent, seu alias propriis labore, & industria juxta suam aptitudinem victum acquirere recusantes, seu non exquirentes, desidiosam vitam agere, & mendicare maluerint, debeant nos, & pro tempore existentes Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarius in spiritualibus Generalis, quoad mendicantes in Ecclesiis, carumque portis, seu porticibus, idem vero Vicarius, & dictæ Urbis Gubernator, alique Judices Competentes quoad mendicantes per eandem Urbem, tum ex Officio, tum multo magis ad quamcumque præfate Congregationis hujusmodi Hospitii Præsidentis instantiam, eorum familiis armatis hujusmodi mendicantes carcerandos, & poenis carceris ad tempus exilii, alique eorum arbitrio coercendos curare, & ut hujusmodi mendicatio proflus eliminetur, fatagere, invigiletque præfatus pro tempore existens Urbis Gubernator, ut Bannimenta contra vagabundos edita, & edenda, ac poenæ in illis statuta, & statuenda omnino, & solerter executioni demandentur.

De pauperibus ob aliorum avaritiam.

§.19. Cum autem frequenter contingere possit, ut ii, qui pauperes, & invalidos alere tenentur, & possunt, id ipsum adipiscere recusent, seu ab iisdem pauperibus, & invalidis arctari nolint, vel nequeant, invigilet etiam Congregatio præfata Hospitio Apostolico hujusmodi præposita, ut iidem pauperes invalidi sola facti veritate inspecta, manu Regia, & cum informationibus etiam extrajudicialibus a quibuscumque Judicibus competentibus, quibus ad hunc effectum necessarium, & opportunam facultatem impartimur, ad hujusmodi alimenta præstanda omnino compellantur.

Concessio indulgentiæ Plebaniæ Petri per modum suffragii in quibusdam festivitibus, & articulo motus.

§.20. Volentes præterea pauperum invalidorum hujusmodi, necnon Ministrorum, & Officialium quorumcumque in præfato Hospitio, ejusque locis, seu habitacionibus commorantium, ac etiam omnium, & singulorum de Congregatione hujusmodi Hospitio Apostolico præfate existentium, devotionem celestium Ecclesiæ Theaurorum largitione magis, magisque excitare, & promovere, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus prædictis, qui in Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis ejusdem Domini nostri Jesu-Christi, necnon Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, & Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, necnon Apostolorum, & Commemorationis omnium Sanctorum Festivitatibus, vere poenitentes, & confessi, & Sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia,

dia, hæresum, & schismatum extirpatione, & S. Matris Ecclesie exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quæ etiam Animabus Purgatorii per modum suffragii applicari possit, præsentibus in perpetuum valituris, misericorditer in Domino concedimus, ac etiam omnibus, & singulis præfata Congregationis ubicumque decedentibus necnon eis, quos in præfato Hospitio, ejusque locis, seu habitationibus, vel in Hospitalibus Infirmorum, ad quæ ab Hospitio, seu locis, & habitationibus præfatis ducti fuerint, decedere ab humanis contigerit, si vere poenitentes, & confessi, & Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint in eorum mortis articulo, similiter plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem in perpetuum concedimus.

Concessio eorum prohibitorum, & absolutio in articulo mortis ab omnibus peccatis, & censuris.

§.21. Præterea pauperibus utriusque sexus hujusmodi in Hospitio præfato, seu ejus locis, vel habitationibus supradictis pro tempore degentibus, quorum infirmitas, vel nimium imbecillis valetudo, aut corporis habitudo jejuniæ, seu carniæ, & lacticiæ abstinentiæ ferre non poterit, ut de utriusque Medici consilio quibusvis Quadragesimalibus, ac quatuor Anni temporibus, & Vigilis, aliisque diebus, in quibus jejuniæ ab Ecclesia indictum, aut carniæ, ovorum, & lacticiæ usus de jure, vel consuetudine, seu alias prohibitus existit, vel fuerit, carnis, ovis, butyro, lacticiæ, & aliis cibis prohibitis hujusmodi uti, & vesci; singulis quoque Presbyteris Sæcularibus, & cujusvis Ordinis Regularibus, qui ad hoc ab infra scripta Congregatione electi, & a prædicto in Urbe Vicario approbati fuerint, ut singulos pauperes, Ministros, & servientes hujusmodi Hospitii Apostolici a quibusvis excommunicationis etiam majoris, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, quibus innodati fuerint, necnon quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, de quibus dicta Sedes merito consulenda foret, videlicet in casibus, tam Ordinariis Locorum, quam etiam eidem Sedi reservatis, non tamen in Judicium deductis, neque contentis in Literis in die Coenæ Domini legi solitis, semel in ingressu dicti Hospitii Apostolici, & iterum ab omnibus supradictis, nullo prorsus excepto, in mortis articulo, confessione tamen eorum diligenter audita, in foro tantum conscientie absolvere, injuncta inde eis pro modo culpæ suo arbitrio poenitentia salutari, perpetuo concedimus, & indulgemus.

De infirmis, convalescentibus, & mortuis pauperibus.

§.22. Quotiescumque autem pauperes in hujusmodi Hospitio, ejusque locis, & habitationibus degentes ægrotare contigerit, ad Nosocomia ejusdem Urbis pro pauperibus ægrotis erecta, & destinata, quæ illos juxta eorum instituta omnino recipere debeant, transmittantur, quique convalescent, iterum in Hospitium, ejusque loca, & habitationes præfatas reducantur, itaut accessus, & recessus hujusmodi curibus dictorum Nosocomiorum, ut in aliis similibus ægrotis servari solet, peragatur: Defunctorum vero vestimenta a Nosocomiis, in quibus illi ab humanis decesserint Hospitio Apostolico præfato prompte, & fideliter restituantur. Cæterum ægrotis, si quos ad Nosocomia ab Hospitio, ejusque locis, & habitationibus hujusmodi transportari non posse aliquando contigerit, Ecclesie Sacramenta a Parochis, in quorum districtu idem Hospitium, ejusque loca, & habitationes sita existunt, vel ab aliis de eorumdem Parochorum licentia ministrantur. Illorum vero cadavera, qui in Hospitio Lateranensi decesserint, in Coemeterio Hospitii ad Sancta Sanctorum, quos vero in locis præfatis ad Ripam Magnam nuncupatam, seu ad Pontem Sixtum mori contigerit, in earumdem Ecclesiarum Sepulturis, & Coemeteriis interim constructis, & construendis respectively absque ullo Parochorum emolumento sepeliantur.

§.23. Urque ingentibus expensis, quæ tanto operi necessariæ sunt, aequaliter suppleatur, volumus, mandamus, & Apostolica auctoritate, Hospitio præfato concedimus, & indulgemus, ut pauperes prædicti, vel in Hospitio conviventes, vel extra illud, ut præfertur commorantes, habitum tamen Hospitii gestantes, & a Congregatione ad hunc effectum eligenda elemosynas ad Portas Ecclesiarum, & in aliis locis benevolens, nunquam tamen intra Ecclesias, ad Beneficium præfati Hospitii, ejusque pauperum alimoniam modeste quætuare nedum possint, sed debeant, nec a tali quæstuatione desistatur, seu recedatur, etiam si redditus hujusmodi Hospitii omnium pauperum invalidorum mantentioni sufficientes, imo excedentes quoquomodo acquirerentur; quidquid enim unquam, Deo dante, hujusmodi mantentioni superesse contigerit, in dotationem puellarum, quæ in Hospitio præfato laudabiliter convixerint, arbitrio Congregationis præfate erogandum, & convertendum esse, & fore decernimus. Ac ne eadem Puella subsidiorum dotatum, quæ a Confraternitatibus, locis, & personis piis Urbis præfate uberrime dispensantur, remaneant expertes, ut illa omnibus, & singulis Indultis, facultatibus, & privilegiis puellas aliorum Conservatoriorum, Locorum, & Domorum piarum ejusdem Urbis ad hujusmodi subsidia assequenda quomodolibet habilitantibus, perinde, ac si ipsis, seu memorato Hospitio Apostolico nominatim concessa fuissent; uti, frui, & potiri perpetuo valeant, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus indulgemus. Et nihilominus eandem præfati Hospitii puellas ad quæcumque subsidia dotalia etiam nationalia obtinenda, tamen in eorum propriis, seu particularibus Domibus, vel in regionibus, quarum puellis distributio subsidiorum hujusmodi aliquibus, vel singulis annis destinata sunt, non habent, seu requisita, vel ex dispositione fundatorum, benefactorum, aut largitorum, vel ex quacumque etiam inveterata consuetudine, vel ex quibusvis Statutis, vel Constitutionibus Apostolicis præscripta non habeant, similibus motu, scientia, & potestatis plenitudine, etiam tenore præsentium amplissime, & plenissime præmissis, & aliis non obstantibus habilitamus, & dispensamus.

Consultum Hospitii, & puellarum utilitati.

§.24. Ac insuper, ut hujusmodi Hospitii pauperum invalidorum perpetuæ conservationi, felici regimini, & salubri progressui, & incremento, majori, qua fieri potest diligentia, & attentione sit opportune consultum, Congregatio-

De Congregatione, ejus facultatibus, & officiis.

tio-

tionem, partim ex Romana Curie Prælati, partim ex aliis viris, omnibus, virtute, charitate, pietate, rerumque experientia præstantibus compositam, atque additione, & incorporatione præfatorum Camere nostre Theaurarii, & Commissarii Generalis, & quatuor pariter probatorum Virorum, ut præfertur, adauctam, & in unum redactam, qui tamen quatuor Viri non amplius ad annum, sed in futurum adinstar cæterorum pariter ad nostrum, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrium sint, & intelligantur deputati, præficiamus, deputamus, & constituimus, seu jam perfectam, deputatam, & constitutam, & ut præfertur, adauctam confirmamus, & innovamus, ut hujusmodi Congregatio pro tempore existens, & nostro, nostro- rumque Successorum Romanorum Pontificum arbitrio renovanda, confirmanda, seu constituenda, perpetuis futuris temporibus circa ea, quæ Institutum hujusmodi observantiam, animarum salutem, corporum alimoniam, reclamationem Hospitii normam, & disciplinam, necnon œconomicam administrationem, rerumque, bonorum, & jurium conservationem, & defensionem, providam Ministrorum, & Officialium etiam Sacerdotum, & tam Regularium, quam Sæcularium electionem, distributionem, & amotionem, salva tamen quoad Regulares erga eorum Superiores obedientia, & quamcumque tum Spiritualium, tum temporalium superintendentiam, directionem, & administrationem concernunt, in Domino præsideat, solerter invigilet, & incunctanter incumbat; eidemque Congregationi quæcumque Statuta, Ordinationes, Constitutiones, & Regulas licitas tamen, & honestas, Sacrisque Canonibus, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adversantes concedendi, & faciendi, ac conditas, & factas toties, quoties opus fuerit, corrigendi, mutandi, reformandi, & alia de novo faciendi, opportunam, & amplam facultatem concedimus, & impartimur. Quæ quidem Statuta, Ordinationes, Constitutiones, & Regule sic condite, correctæ, mutata, reformata, & de novo factæ, postquam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem approbata fuerint, ab omnibus, & singulis, quos illa, & illa concernunt, inviolabiliter observari volumus, ac juxta eorum, & earum dispositionem, & tenorem a quibusvis etiam Judicibus, & Superioribus, sublata aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere.

Exhortatio ad hoc Hospitium augendum.

§.25. Postremo Christiane fideles majori, quo possimus animi affectu hortamur in Domino, ut piissimo huic, & saluberrimo Hospitio, pro cuius perpetua conservatione, & successiva mantentione ingens, & prompta impensa, & maxima dos requiritur, & cuius facultates, & redditus quo magis augmentur, eo multiplicatur numerus pauperum alendorum, & ampliantur opera charitatis, elemosynis, & benevolens elargitionibus manus porrigant adjutrices, centuplum in æternis Cæli tabernaculis recepturi.

Clausula.

§.26. Decernentes, eandem præsentem Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præminentie, vel dignitatis, etiam Cardinalatus, seu alia spe-

cifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præmissis, eorumque singulis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tamen si suorum Indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostre, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus possit, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, iisque plenarias, irrevocabiles, & perpetuos effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque, & quomodocumque spectabit inviolabiliter observari.

§.27. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, aut potestate fungentes, & functuros; etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, præfate Camere Theaurarium, & Clericos Præsidentes, & S.R.E. Cardinales etiam de Latere-Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere; irritum, quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.28. Non obstantibus præmissis, ac quoruncumque Testatorum, Fundatorum, & Piorum Largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permittis fieri prohibentibus, prout etiam præfati Sixti prædecessoris, necnon fel. record. Symmachi, Paali II., Pauli IV., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesie, & Camere Apostolicæ non alienandis, & de alienatis recuperandis, itidemque præfati Pii IV. de gratis qualescumque interesse præfate Camere Apostolicæ concurrentibus in dicta Camera intra certum imbi præscriptum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentis in ea præsentari, & registrari nullo unquam tempore, vel modo necesse sit, necnon aliis quibuscumque Apostolicis, ac etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Constitutionibus, Ordinationibus, ac Urbis nostre, & quoruncumque superius explicitè, vel implicitè nominatorum, & comprehensorum quibusvis etiam Juramento, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, etiam in limine foundationis, seu dotationis concessis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis.

R r 2

lis, & Decretis in genere, vel in specie, & ad quorumvis instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium eorum premissorum concessis, ac etiam pluries approbatis, confirmatis, iteratis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcunque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, occasiones, & causas, etiam quantumvis pregnantibus, piis, & privilegiatis, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & inferrentur, iisdem presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, & exactissime adductis respectu habentes, illis autem alias in suo robore permanentibus, ad premissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, plenissime, & sufficienter hac vice dumtaxat derogamus, ac derogatum esse volumus, & mandamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.29. Nulli omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum erectionis, foundationis, constitutionum, approbationum, confirmationum, innovationum, roborationis, destinationis, assignationum, stabilimenti, concessionum, applicationum, unionum, appropriationum, aggregationum, incorporationum, additionis, voluntatum, mandatorum, sanationis, supplementationis, Decretorum, Statuti, Indultorum, perfectionis, deputationis, commutationis, & derogationis, aliorumque premissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo, tertio decimo Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

L XI.

Confirmatur Decretum Congreg. Ep. & Reg. approbans quedam Statuta pro tribus Cœnobus Recollectionis Provinciæ S. Michaelis in Batia Tertii Ord. S. Francisci.

Inn. XI. Const. ed. 1685, Apr. 16, P. 9, extat Decretum aliud circa electionem Officialium. Et huius Pontificis Const. ed. 1693, Nov. 19, P. 3 confirmatio erectionis præd. Cœnobiorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciæ S. Michaelis in Batia Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita exposito, quod ipsi alias tres Conventus Recollectionis nun-

Secundum præd. condita fuer. a Diffinitorio Provinciæ.

cupatos in eadem Provincia crexerant ad hoc, ut ii Religiosi, qui in eo secessu vitam transigere, ac Altissimo absque ulla perturbatione famulari cupiebant certos, & determinatos Conventus haberent; verum, quia pro felici Recollectionis huiusmodi directione nullæ aderant specialiter constitutæ Leges, Diffinitorium d. Provincia ad tam salutarem Institutionem constabiliendam iuvandosque eorum, qui eam amplexi fuissent, in via Domini progressus, nonnulla ediderat Statuta tenoris, qui sequitur, videlicet.

Constitutiones pro Conventibus Recollectionis Provinciæ Andaluçiæ Religionis Tertii Ordinis Penitentia S. Francisci, videlicet Conventus Domina nostra Canonicos Sanctos fundatis intra terminos Ville de Olvera Diocesis de Malaga, Conventus S. Joannis Baptista de Moranina intra terminos Ville de Bollallos del Contado; ac Conventus S. Joannis Baptista de Alfarache extra muros Batice, ambo Diocesis Batice Archiepiscopatus.

In primis. Ut illa castitudo sanctissimæ paupertatis conservetur, ordinamus, & statuimus, ut Communitas obligata maneat ad providendum quæque necessaria singulis Religiosis præmemorata Reformationis, quin aliquis ipsorum nec sub necessitate prætextu absque Provincialis speciali licentia, possit ad ullius rei usum, habere recursum.

Secundo. Quod constitutur in quovis Conventu locus, ubi cuncta necessaria pro Regulari vestitu reponantur, videlicet habitus, pallium, tunica, Tunicella, & cætera sic.

Tertio. Statuitur ut taliter in hisce honesta nuditas, ac seraphica paupertas observetur, quod nullus Religiosus pluribus induatur, quam interiori una lanæ tunica, tunicella una, femoralibus de lino, habitu latitudinis sexdecim palmorum, talari, ut in Regula præscribitur; ac mantello ad habitus proportionem abbreviato, & quoad calceamenta singuli portabunt sandalios usque ad calcaneum apertos.

Quarto. Statuitur, ut Religiosi in Cellis rebus curiosis, aut ornatum confruentibus non utantur; itaque dumtaxat habebant Crucem ligneam, tabulatum, aut arundineum lectulum, duo stragula, unum pulvinar, duas sedes humiles, parvulam unam mensam, & circa librorum usum, eos apud se habere poterit, quos juxta exercitium, & capacitatem Rev. Patris Provincialis sufficientes censuerit.

Quinto. Statuitur, ut Religiosorum nemo per se, aut per interpositam personam possit retinere Missarum elemosynam, sed debeat quæcumque eam Prælato manifestare, & exhibere, & tunc Prælati ei facultatem præstabit, ut illas Missas juxta declaratam necessitatem applicet.

Sexto. Statuitur, ut in Matutinis mediæ nocte inviolabiliter per singulos dies Deum benedicant, quin in toto Anni curriculo aliquando dispensetur tam celestis hora, in qua a Regalibus Sedibus Altissimus venit, inter Sacratissimæ Virginis brachia primus intonuit, surgens in requiem suam, & noctem sicut diem illuminare monstravit. De cætero Divinum Officium paulatim, reverenter, ac devote recitetur, nec ulla dies absque Missa Conventuali pertranseat.

Sep-

Septimo. Statuitur, ut in singulis diebus per duas horas Oratio mentalis exerceatur. Prima hora ante primam, & secunda hora post Completorium, & insuper ad prædictarum horarum perfectionem expeditionem uniusquisque intra Cellam suam in profundo silentio solus maneat, ante Completorium per unam horam, & ante Missam Officii, & per aliam.

Octavo. Statuitur, ut Religiosi, quam minus possint e Domo egrediantur, nec nisi a quindena in quindena alicui licentia præbeatur.

Nono. Statuitur, ut per totum annum disciplinam habeant feria secunda, quarta, & sexta exceptentur tamen præsignati dies, si cum solemnibus festivitibus concurrant. Monemus, necnon quod si aliquis Religiosus Divino fretus auxilio, austeriorem vitam, & carnis mortificationem vellet amplecti, ne propriæ voluntatis fere imperceptibili laqueo cingens se pereat, ante omnia Prælatum localem consulta, ejusque nutui se subiacet, ut alius cingat eum, & ferat quo non Satana, sed Deo proficiat.

Decimo. Statuitur, ut nec R. P. Provincialis, nec R.P. Commissarius Visitator possint mittere ullum Religiosum, ut in prædictis Conventibus commoretur, quin prius consiterit eis de exemplari vita, & spiritu probato Religiosi commoratori, nec Prælati locali eum commorantem habeat, nisi supposita approbatione Religiosorum etiam per vota singulorum exhibita.

Undecimo. Statuitur, ut nullus Religiosus possit eligi in prædictorum Conventuum Guardianum, quin prius laudabiliter per duos annos continuos in eis vitam eorum communem duxerit.

Duodecimo. Statuitur, ut nullus Religiosus, ob vitam improbam, poenitentia correctus, nunquam a Superioribus Prælati ad commorandum in præfatis Conventibus mittatur.

Tertio decimo. Statuitur, ut post prandium, & cœnam tam benedictio, quam gratiarum actio decantetur, itaut post prandium ad Ecclesiam cuncti Religiosi eant, prout in hac nostra Provincia consuetum est, ac deinceps recitantes Psalmum Misere mei &c. regrediantur ad abstergendum scutellas, in quibus manducaverunt.

Quarto decimo. Statuitur, ut in singulis sabbatinis diebus omnes Religiosi post vesperas conveniant ad scopandum Conventum, & Ecclesiam, atque tunc ad purificandum Altaria.

Quinto decimo. Statuitur, ut in singulis hebdomadibus inter Religiosos conferatur, & dilucidetur aliquod punctum mysticæ Theologiæ, prout moris est.

Sextodecimo. Statuitur, ne prædicti Religiosi possint Terras colere, & in eis seminare, nisi tantum unum, aut duplex parvulum spatium in congruæ sustentationis subsidium, at neque id fiat, nisi ex gratis, & ad titulum paupertatis concessis, sicut decet paupertatis sanctissime fœdatorum, prout in Conventu de Caños Sanctos observatur.

Decimo septimo. Statuitur, ut in Refectorio, mensæ non exornentur mappis, sed duobus linteolis pauperulis pro mundicie cuiusvis Religiosi.

Decimo octavo. Statuitur, ut nemo cate-

rorum Religiosorum Provinciæ, possit apud tres Recollectionis Conventus remanere, nisi ut per aliquos dies a R. P. Provinciali deliberandos, serio spiritualia eorum exercitia sequatur, & dum aliquis sub alio fine, ac prætextu accedat, duobus transactis diebus subito recedere compellatur.

Decimo nono. Præcavimus, ut a secularium colloquio penitus Religiosi abstrahantur, quapropter dum hospites recipere opus sit, ad devote, & charitative eis necessaria ministrandum, dumtaxat adsit Pater Guardianus, aut Præses, vel loco ipsorum Religiosus modestior, a Patre Guardiano destinandus, & seligendus.

Vigesimo. Statuitur, ut nemo ad habitum induendum recipiatur, quin prius in præordinatis inferiendi Communitati exerceatur, si sit ad Chorum, per unum mensem, & per duos si sit ad Laicatum statum, & his peractis circa sufficientiam, & habilitatem pro statu suscipiendi singulorum vota sumantur.

§.1. Tandem ultimo statuitur, ut numquam, qui in præfatis tribus Conventibus habitum susceperant, ab eis ad cæteros Provincie Conventus transferantur, nisi gravi urgente causa, aut pro bono communi Provinciæ, verumtamen hæc approbata per Diffinitorium una cum Superioris Generalis licentia, & quicumque hanc Regulam sequuti fuerint Pax super illos.

§.2. Ac proinde pro parte eorumdem Ministri Generalis Custodis, & Diffinitorum prædictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut trium Conventuum huiusmodi erectionem, sive assignationem, sicut præmittitur factam, necnon, statuta præserta confirmaret, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis, videlicet = Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta relatione Eminentissimi Cybo Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem Protectoris, referente Eminentissimo de Laurea, censuit supra scripta statuta esse approbanda, prout presentis Decreti vigore approbat, atque confirmat. Rome 5. Junii 1693. = G. Cardinalis Carpeneus = A. Altovitus Secretarius.

§.3. Cum autem, sicut præfati Ministri Provincialis, Custos, & Diffinitores Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communitari plurimum desiderant. Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus porrectis inclinati, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

§.4. Decernentes ipsas præfatas literas semper

Decretum Congregationis.

Proces Superiorum minorum.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula per